

Summa Disputationum.

1. Idea fundamentalis.
2. Observationes Barometrico-Meteorologicae aperte,
mice Hallens:
3. Experimenta Barometrico-Meteorologica.
4. Demonstrationes physicae curiosae Experim. et Observa-
tionibus mechan. ac chymicis illustratae.
5. Beschreibung des Salzthales in Dallen.
6. Grundliche Untersuchung von der Zeit nach dem
Hafen.
7. Reisen und grundliche Untersuchung, wie das jenseitige
geographische grausende Land am jenseitigen
Meere steht sign. etc.
8. Theorematum physicae excellentia fundamenta novae by.
poteratos omnia corpora naturalia constare ex met. gallo.
9. Refutatio examinis de potu caleri et frequenti.
10. De officio boni Theologi ex idea boni theodici.
11. De rationis instructar. Excellentia in Rabig Docens
et Humanis Oratio.
12. De Corporibus illorum principis et affectionibus.
13. Programma invitatorium ad prelectiones
publicas et orationem habendam.


Xc. 38.

- 12, Proprietatis in ang. De saliper. it.: De pane
et proportioni ad fructus. ~~ad fructus~~
12) De chæcarancy Fabrium Doctrina Hippocratica.
De animæ et corporis commerce.
13, De vaporre carbonum fossilium innocio.
14, De modo veterum balsamandi corpora.
15, De China Chine modo operandi usu et abuso. it.: de
Fabrium nova Hypothali.
16, Epistola Gratulatoria ad Barnstorffum.
17, Kürzige Abbildung des Weigens spirit. Religion.
18, Bründl'städtische von Nutzen und Schaden
des Lebend-Balsams und Lebendmutter-Spiritus.
19, Catalogus Dissert: Lucabri: etc.

N.B. Ad artio mechanice Philosophie
Parvus Dñm Romani num. 8. extat.

J. L. - 28.

81



10 P

DE
**OFFICIO BONI
THEOLOGI EX
IDEA BONI ME-
DICI,**

IPSO NATALE
SERENISSIMI REGII PRINCIPIS,
IN ACTU PROMOTIONIS
HABITA ORATIO

^a
FRIDERICO HOFFMANNO, P.P.

HALÆ, Typis CHRIST. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCCIL.

CONSUMMATISSIMO THEOLOGO;
DN.

**JOACHIMO
JUSTO BREIT-
HAUPTIO,**

REGII CONSISTORII CONSLIARIO ET
INSPECTORI GRAVISSIMO,
SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORI ET
PROFESSORI THEOLOGIÆ PRIMARIO,

Hunc exilem laborem in perpetuæ venerationis docu-
mentum consecrat

AUTOR,



Agnam & perutilem eam cognationem esse, qua præclaræ scientiæ ac disciplinæ inter se copulantur, credo vos, Auditores, vel me tacente non ignoraturos. Sunt autem fateor & doleo vehementer, qui tantum uni studiorum generi vacant, iisq; quæ ad usum ex certa disciplina haufere usque eo indulgent, ut alias artes præterquam proprias neque ignorare poeniteat nec scire curæ cordique sit. Ex adverso sapientiores sunt ii qui ad exornandam suam disciplinam, cui ex instituto se se consecrarent socia & affinia studia in subsidium advocant, ex quibus postmodum plura perquam utilia & quæ ingentem lucem in ceteris rebus tractandis spargunt feliciter depromere & ad quamvis pro lubitu scientiam accommodare possunt. Ego vero si quid judicare possum, sic habeo: non posse quempiam solide eruditii viri nomen tueri, nisi qui non modo suæ doctrinæ, quam profitetur, fundamenta sed vicina quoque studia sibi familiaria reddiderit. Nolo hanc assertiōnem longa argumentorum serie firmare sed tantum de præsenti propositum est, harmoniam medicinæ corporis & animæ per quam Theologiam intelligo vobis, Auditores, clarius pleniusque interpretari. Dici vix potest, quam amice conspiret natura & gratia & visible sit speculum invisibilis, hinc ordo ratio & methodus, qua peritus medicus intollendis corporis adfectibus uti-

tur non alia sed una eademque est cui insistere animæ medicus debet. Quæ cum ita sint non inutilem laborem nec a munere meo alienum fore judicavi, si ex medicina & medendi regulis methodum sanandi animam derivarem, & officium boni theologi ex officio boni medici describerem. Cui instituto ut favetatis benevolumque animum ac patientem aurem mihi dicturo commonetis, est quod ea, qua decet, humanitate a vobis peto atque contendeo. Videlicet exquisite mihi videntur sapere & recte Theologiam pertractare qui cum medicina eandem componunt, & ex hac methodum expugnandi animæ morbos addiscunt. Medicinam habitum esse mere practicum ne nudis contemplationibus contentum res ipsa loquitur. Evidem supponit multa subsidia ac variarum rerum scientiam quibus instructus sit necesse est, qui rationalem medicinæ praxin exercere allaborat. Perinde quoque sese res habet cum theologia cuius unicus scopus praxis & animarum salus est & esse debet, ut ut supponat gnosin & accuratam rerum divinarum theoriam. Quemadmodum autem veri Medicis nomen haud meretur, qui de morborum causis & de medendi methodo tantum ingeniose & subtili ratione differere novit, sed qui remedia prudenter ad quemvis morbum applicare scit. Simili ratione ignoscite mihi, Auditores, quod eum pro vero theologo non agnoscam qui tantum subtiliter de rebus divinis disputat, & sua religionis doctrinam acriter defendit, neutquam vero prudenter ea doctrina utitur ad animi labem, ejusque virulentiam corrigendam. Duplicem medicinæ scopum esse, videlicet sanitatem amissam restituere, restitutamque conservare, res extra omne dubium posita est.

est. Neque ullum alium scopum theologus sibi præsum habere debet, quam ut corruptam mentem in integrum restituat, eamque ab omni labo ac gravi morbo tueatur atque præserves. Deinceps immotum ac firmum principium medicina agnoscit, estque hoc natura sive mirabilis ille & pulcherrimus partium corporis nostri, ac motuum certos in fines spectantium ordo atque concentus, quem mechanismi nomine nostro tempore efferre solent. Hoc immutabile & certissimum est illud principium quod nunquam errat, sed necessarios effectus producit, hujus qui perfectam notitiam habet medicus, & eo recte ad finem suum obtinendum uti scit, is demum officium veri medici sustinet. Gaudet quoque suo inconcuso ac certissimo fundamento ipsa theologia, quod est verbum Dei revelatum in quo admirabilis rerum divinarum ordo, ac concentus in æternam animarum salutem conspirans animadvertisit, quo si Theologus prudenter utitur, is demum officii suo recte fungitur. Sicuti autem naturæ auctor est Deus, qui vires curatrices remediis infudit: ira quoque gratiæ & viarium, quæ in verbo ejus reconditæ sunt salutarium auctor est infinitum illudens. Præterea unanimis est consensio, duobus medendi artem quasi cruribus ac fulcris inniti, quorum alterum est experientia, alterum λόγιος seu ratio, secundum hæc omne quicquid sentiunt in theoria, quicquid ajunt in praxi dijudicant atque expendunt medici, & quicquid cum hisce convenit approbant, rejiciunt autem quod non cum iis habet convenientiam. Theologia quoque est rationalis & res experientia. Theologus uti medicus non aliud tenet subsidiū recte intelligendi ac applicandi verbum divinum

quam sanam rationem experientia stabilitam. Medicus ab experientia maxime commendatur quæ judicio ætate & multorum casuum attenta observatione acquiritur: ita non minor differentia ponenda est inter Theologum peritum & minus peritum, senem ac juvenem. Sicut enim in omni feliciter expedienda re judicio & applicazione opus est: ita maxime illud in sanatione animæ procedit. Plura sunt, Auditores, quæ ex medicinæ partibus ac fundamentis per quam commode mutuari ac applicari possunt ad theologiam. Quinque recensentur vulgo medicinæ partes, Physiologia, Pathologia, Semiotica, Hygiene & Therapeutica. Nam quicunque corpus humanum a morbis præservare, vel eos curare intendit, is primo omnium statum secundum naturam siue sanitatis indolem perspectam habeat necesse est, deinde causas lœdentes scire, easque per varia signa cognoscere debet. Quo circa sapienter procedunt ii Theologi practici, qui in quo salus ac integritas animæ ante peccatum conuiieverit, prius inquirunt postea scrutantur ea, quæ statum hunc sanum turbant ac evertunt. Qui non tali ordine procedit, is neque cum ratione neque cum certitudine sanat animi, & corporis vitia. Fundamentum sanitatis & vitæ scite ponitur motus cordis, & sanguinis circuitus temperatus, placidus ac æquabilis, hunc sequitur mox actionum vitalium integritas. Animæ nostræ salus ac felicitas quid aliud est, quam ejus motus tranquillus, æquabilis, regularis, id est, secundum voluntatem Dei ordinatus? hoc præsente omnes hominis actiones labo & vitio carent, hic animæ status veram obedientiam atque amorem erga Deum exprimit, hic status conjungit nos cum Deo, in qua unione & so-

cia-

cialitate conquiescit genuina animæ perfectio ac felicitas. Cor principium ac fons vitaæ ac sanitatis est, & ex ejus motu ac pulsu æquabili æstimat peritus medicus totius sanitatis negotium. Simili ratione cor spirituale, per quod animum hominis intelligo, & principium, est fons omnium actionum ex quo omnis moralitas æstimari debet. Morbi corporis nil nisi irregulares & turbulentæ sanguinis ac spirituum commotiones sunt, quæ exercitium vitale proxime depravant atque pervertunt. Peccata animique morbi & vitia, quid aliud sunt, quam plane irregulares inordinatae, hoc est a divinæ voluntatis ordine ac regula deflectentes mentis turbationes ac commotiones? quæ fundamentum omnium vitiosarum hominis actionum sunt. Tametsi autem omnes morbi corporis ex una radice, nempe irregulari sanguinis & spirituum circulo, proveniant, diversissimis tamen effectibus & symptomatibus sese exserunt, diversaque inde sorbiuntur nominæ: Ita in spiritualibus una radix peccatorum est inobedientia, quæ, prout per varia objecta, variisque effectibus sese prodit, diversis vitiorum nominibus indigitatur. Medicus in causæ morbificæ vim & magnitudinem non aliter penetrat, quam per effectus morbos atque symptomata. Nulla enim morbi causa est, quæ se non pandat ac manefestet effectibus. Neque aliud Theologo suppetit medium perspiciendi gradum ac vim corruptionis in anima, quam sedula observatione ipsarum cupiditatum & actionum hominis quas omnes inter se diligenter conferre, & ad divinæ voluntatis regulam æstimare debet. Medico cognitio causæ morbificæ ad sanandum admodum est necessaria, adeo, ut, qui bene cognoscit, bene curet, quia curare, nihil aliud

aliud est, quam morbificam causam convenienti reme-
dio tollere: eodem modo animæ archiatrum signorum
& symptomatum rationem ad cuiusvis animæ statum in-
quirendum, diligenter habere oportet. Quemadmo-
dum vero sanitas dijudicatur ex actionum vitalium inte-
gritate & exercitio, neque is sanus dici potest, qui adhuc
gravissimis symptomatibus agitatur: ita etiam regenitus
non dicendus vel judicandus ille est, qui habitualibus &
pessimis vitiis adhuc inhæret: neque medicus in digno-
scendo temerarius sed circumspectus esset debet, non
modo præsentia sed & antecedentia vitia consideret, non
quædam sed omnia exquisite inter se conferat. Certe si
ulla in re, profecto in judicio ferendo & formando de
statu hominum quoad animam, caute & circumspecte
procedere debet is, qui publice & ordinarie prospicit
saluti animarum. Medicus non plus se prostituit & fa-
mam suam amittit, quam imprudenti diagnosi & pro-
gnosi. Nolo id applicare fuisus ad Theologos cujuscun-
que ordinis, res ipsa loquitur, hac in re sæpissime ipsos
decipi aliosc decipere.

Morbos non esse unius ejusdemque naturæ, sed
alios leves, alios graves, alios acutos, alios chronicos,
alios mali moris, alios continuos & non continuos, sa-
nabiles & non sanabiles res in foro medico est notissi-
ma; Dignoscat etiam probe animæ archiates morbos
quibus miserrimæ animæ conflictantur, num chronici ha-
bituales virulenti immedicabiles sint, num malignitatis
& periculi expertes, sanationem admittant. Dari etiam
inspiritualibus vitia habitualia & contumacia, quæ o-
mnem remediorum virtutem eludant non appetet quid-
ni velimus afferere, & sicuti quando habituale corporis
viti-

vitium non cedit remediis, hoc ipsum non medico, qui
 paratus est ad sanandum potest imputari, neque culpa
 transfundenda in medicamentum, quod certo ordine &
 tempore adhibitum juvat, sed in ipsum ægrum, qui o-
 mnem respuit mendendi viam, regimini præscripto non
 obtemperat: pari ratione via gratiæ sive ad sanitatem a-
 nimæ pervenienti additus peccatoribus præclusus dicitur
 eo tensu, non quod Deus vel ejus verbum saluberrimum
 sit in culpa, sed ipsa contumacissima indurati peccatoris
 voluntas, cui tanta ineft virulentia ut neque admittat coe-
 leste remedium, neque ex eo ullum motum vel sensum
 salutarem amplius recipiat. Igitur non est in Medico,
 neque in Theologo semper relevetur ut æger, interdum
 docta plus valet arte malum. Veruntamen nihil secu-
 riū est quam si quis metuens morbum statim mature
 consulat medicum. Scite hac de re Hippocrates: *Ab organi*
arte aliena res est dilatio, maxime vero a medicina. Et
 vetus paremīa: *Pars sanitatis est velle sanari.* Qua-
 propter cura animæ nunquam est negligenda neq; procras-
 tinanda, sero enim & hic medicina paratur, cum mala
 per longas invaluere moras. Per placet autem ex ipsa
 medendi methodo intimiores regulas quibus peritus Me-
 dicus uti solet tranferre ad animæ medicinam ejusque
 vitiis medendi modum. Primo autem omnium dicen-
 dum est non dari medicinam universalem, quæ omnibus
 individuis omni naturæ, omni tempore quadret. Vul-
 garis & pessima est opinio, quæ plures etiam egregios
 viros, sed medicina imperitos decepit, dari adversus
 morbos ejusmodi remedias, quæ nullo respectu habito
 causarum lalentium nulla habita ratione temporis, & in-
 dividuorum certissime depellant morbos. Hæc falsa per-
 svasio

fvasio a multis retro temporibus amplissimam subministravit occasionem empiricorum praxi. Equidem infinitus rerum conditor certas remediis indidit vires certamque medendi efficaciam, quæ tamen vis non absoluta est, sed restricta ad certum subjectum, certam causam, ordinem, dosim & tempus, & in eo acquiescit prudens remediorum applicatio, quæ sinegligitur hoc quoad datum fuit ad salutem in damnum potius, & detrimentum corporis cedit. Remedia spiritualia per quæ verbum & sacramenta indigit, vivam & internam vim sanandi labem ac corruptionem voluntatis nostræ possident, nihilominus applicatio horum exigit certum ordinem, certum statum subjectorum neq; locum, neq; tempus nec continuacionem excludit. Quicunq; itaq; præpostere uititur his efficacissimis mediis huic saepius, quæ data sunt in vitam & salutem, in damnum ipsius Christi effato cedunt. Nullus autem in medendo solet esse felicior, quam qui ipse morbum expertus est, & ex eo medicinæ ope sublevatus: ita credite mihi auditores nullus ex iis, qui mediorum cœlestium administrationi præsunt felicius sanat, quam qui ipse conversus & sanus factus est: hic proprio experientiæ sensu addidieit ordinem, & methodum applicandi generosa animæ praesidia. Et sicuti negari non potest plures ægrotos perire, non ex morbi & remediorum culpa, sed ex medicorum ignorantia & culpa, qui vel ægrotantes negligunt aut plane deserunt, vel solida ratione & experientia applicandi remedia sunt destituti: Ita non erubesco edere multas animas perire ministrorum Dei culpa, qui non curam debitam earum habent, neq; rectam viam ordinem & methodum opitulandi variis mentis defectibus inse,

inse, neq; in aliis per experientiam didicerunt, spiritualis
 œconomia & ordinis plane ignari. Hi sæpe numero vir-
 tute saluberrima privant media per se efficacissima. Me-
 dicina corporis clinica est & spectat ad individua; non e-
 nem datum est medico una methodo omnes curare, utut
 eodem morbo laborent, sed cuiusvis individui status, &
 mali causa specialius inquirenda, & eo cura dirigenda est:
 eodem modo res est comparata, cum animæ Medicina,
 hæc individualis, hæc cliaica, hæc domestica est & esse
 debet. Curatores itaque animæ nostræ, qui constituti
 sunt publici nequaquam publicis monitis contenti esse
 debent, sed oportet eos singulorum, qui ipsorum curæ
 concreti sunt, quoad animum & cordis interiora sta-
 tum amice blande & fideliter scrutari, & postmodum
 cuivis congruum auxilium & consilium ferre. Medicus
 frequenter visitando pulsam tangendo & quærendo, de
 omnibus circumstantiis interiora morbi perscrutatur; ita
 pastores animæ suorum frequenti conversatione & con-
 suetudine utantur, & quantum fieri potest eorum misera-
 riæ sub silentii fide inquirant. Sancta & veneranda
 antiquitas huic scopo optima sanaratione destinavit con-
 fessionem privatam, sed proh Deum immortalem! quam
 deplorandus hujus plæclari instituti jam notatur abusus.

Denique præcipua regula in Præticis est: medicum
 ante omnia causam morbi aggredi, & tollere debere
 non autem symptomata curare. Palliativa ejusmodi vo-
 catur cura, quæ radicem & fontem mali neglit, talis
 non expers est periculi, utpote vel recidivas inginit,
 vel pejorem morbo habitum introducit. Causa autem
 morbi sublata oninia symptomata, quæ cause duntaxat
 effectus & producta sunt sponte concidunt atque exspi-
 rant.

rant. Perperam quoq; aguntii Theologi qui plus ad peccata & vitia hominum, quam eorum fonte respiciunt. Complures sunt qui eximi quid se p̄fstitisse imaginantur, postquam qui ipsorum curæ demandati fuerant, non amplius enormibus vitiis inhærent, & ab ebrietate prava libidine sibi temperant, vel si ludos indecoros gestus ac vestitum intermittunt, sed conciones audiunt, verbum Dei sermone frequenti usurpant aliis repetunt, & quæ sunt hujusmodi.

Fons potius omnium vitiorum, qui inobedientia est, detegi debet. Hic origo omnis miseriæ humanæ, & primo Adamum, & post eum universos natos contagiosa labie infecit. Igitur obstruere hunc fontem & novum cor, & novam obedientiam Spiritu Dei accensam ingenerare, hic genuinus animæ vitiis medendi scopus ac prima intentio esto. Is etiam facile curat, quem prima origo causæ non fallit, & qui hanc amoliri intendit negligendo Symptomata: non absimili ratione is difficili & arduo negotio procedit, qui peccandi consuetudinem auferre tentat, non autem a cordis & animi interioribus curationis facit initium.

Deinceps a priscis jam temporibus celebrata inter Medicorum filios sententia fuit, naturam optimam esse ægreditur medicatricem, neq; medicum sed naturam sanare & medentem tantummodo naturæ ministrum, non vero ejus magistrum esse. Hoc est, quod etiam animadverte debent ipsi Theologi. Errant qui in sua potestate situm esse credunt, hominum animos pro lubitū mutare atq; convertere. Dei hoc opus est, qui agit per verbum, qui spiritum & vim regenerat ipsi indidit, & præclarum torius processum conversionis in verbo suo præscript.

psit. Proinde quicunq; recte hoc ordine in salutem animæ utitur, is profecto sine opera vel officio pastoris s̄anabitur, qui vero pro lubitu processum & viam salutis si- bi fingit, atq; imaginatur & magister vult esse suæ & alio- rum salutis, is mirum quantum a veritatis scopo est alienus.

Animadvertisunt porro medentum sapientiores, nullam ægritudinem tuto eradicari nisi præcesserit ingens lucta naturæ & morbi: hac præsente spem convalescentia superesse contendunt. Malum autem virulentum & periculi plenum conjiciunt, quando natura non perficit e- jus vim, quando nulla lucta, nulla pugna instituitur. Pos- sunt hæc ipsa non incongrue ad spiritualem Medicinam traduci. Et enim recte divini sapientiæ professores sen- tiunt, non posse ad sanum & peccatum statum peccato- ris mentem reduci, nisi ante se se ostenderit gravis lucta inter spiritum, sive vivam verbi divini in corde hominis efficaciam & inter carnem, quæ perpetuo pravos sugge- rit stimulos ac motus. Observant medici luctam quæ in statu morbi maxima est, comitari insigne symptomatum augmentum, tunc enim increscit ardor, augetur do- lor, anxietas præcordiorum, inquietudo, spirituum op- pressio, generis nervosi convulsio visitur sævisima: simili ratione in lucta, quæ est inter peccatum & spiritum ma- gna sæpius animi ad desperationem usq; angustia inquies omniumq; animi motum ac sensum convulsio notatur, quæ tamen non malum semper edunt præsagium. Sta- tum morbi atrocissimum quando victoria est a partibus naturæ mox insequitur declinatio & symptomatum nota- bilis remissio, omnia enim tunc ac statum pacatum & na- turali conformem redeunt. Ita spiritualem gravem lu- ctam mox excipere & demulcere quoque solet incredibi- lis

lis animæ quies, conscientiæ pax & tranquillitas cum ineffabili gaudio sociata. Deus enim, uti natura processum sanandi animam auspiciatur a lucta dolore & tristitia spiritus, quæ via regia est sine qua nullus inestimabilem thesaurum animæ suæ invenire poterit.

Ulterius victoriam naturæ in morbis prævidere solent peritiores ex certo vacuationum genere quas appellant criticas. Hæ convenienti tempore, neq; statim inter initia sed post statum, cum decremente morbi quando apparent, bonum & certum convalescentia præbent præsagium. Gaudet etiam sua crisi pugna quæ inter spiritum & peccati vim intercedit & est intima aversatio atq; ex mente & cogitatione omni exclusio libidinis peccandi hæc si divinam tristitiam comitatur nullum dubium est imminere veram sanationem animæ. Recidivæ autem periculum non minimum est si præcipiti cursu & quasi per saltum statim ab initio antequam vim peccatorum senserit anima motus tranquillos præsentiat, tales enim experientia Christianorum teste ut plurimum spuriæ sunt. Notatu quoq; per quam dignus in praxi medica canon est: vacuandas primum sordes impuras & copiosas & postea roborantia administranda esse. Chirurgi vulnera prius sale & vino abstergunt & depurant quam consolidationem aggrediuntur & nulla remedia quæ vulneribus adhuc bentur secundum Ciceronis effatum tam faciunt dolorem quam quæ sunt salutaria. Exemplum & hic quoq; capiant animæ nostræ antistites; evangelium enim nunquam ulli præsidio vel saluti erit nisi lex præcesserit, hæc naturæ servida est, nam inter ignes & tonitrua lata, hæc terrorum incutit, hæc dolorem excitat, hæc anxietates & molestias parit: Hoc remedio usurpato exclamavit Davides:

vides: milisti ignem in ossa mea. Quando autem doloris acerbitas adeat, conveniens Iesus est penes medicos sedativorum. In spiritualibus genuini sedativi analeptici & salutaris balsami vices gerit evangelium gratiae & salutis plenissimum. Prudens porro Medicus non nunquam similia similibus nonnunquam contraria contrariis curat, & modo confortantia modo purgantia modo anodynæ in usum advocat, quandoq; etiam si ratum fuerit ad cauteria ad ignem ad sectionem accedit: ita quoq; non eadem methodo semper oberrare debet, qui saluti nostræ spirituali consultit, is enim pro differentia affectus pro diversa natura individui modo iritare occultum in conscientia malum, modo seva ex sensu peccatorum nata phathemata mulcere & delinire studeat. Ultimo loco cautela egregia practicorum est: tuto eum procedere, qui in acutis morbis & paroxysmis sedulo sibi cavet a nimium irritantibus commoventibus nec non ab anodynis & sedativis valentioribus, sed tantummodo qui confortantibus & temperatis naturæ vires solatur, ita ex voto cedere morbum constans practicorum observatio est. Caveat quoq; qui curam gerit animæ nostræ ne in gravissimis spiritus afflictionibus intempestive majores cruciatus augeat, neque etiam eos qui præsentes sunt præmature stupe factivis sitat. Utrumq; malum est; potius hic unice locum inventunt ea, quæ confortando interiorem hominem agunt.

Res etiam & ordo postulat ut breviter strictimq; de parte medicinæ, quæ appellatur Hygiene aliquid dicamus. Novimus non tantum sanandi sed & præservandi causa natam ac inventam esse artem medendi. Præservatio a morborum vehementia tutior semper ac certior creditur, quam eorum depulsio, hanc enim permulta possunt remorari. Tutissimam quoq; quoad salutem animæ nostræ

nostræ res est, custodire bonam conscientiam & divina virtute
armare adversus fraudulentos peccatorum insultus, omniq[ue] studio
evitare occasionem peccandi. Sæpius blando & innocent[er] modo
initia peccatorum sese insinuant animis nostris, quæ postmodum
infestos relinquunt effectus. Plures iisque graves corporis langvo-
res ex iis nascantur rebus, quæ non nobis videntur nocivæ: ita
plura sunt, quæ vulgo creduntur non nocitura saluti animarum,
quorum ab usu in ruinam inemendabilem anima præcipitatur. Is
qui cum morbo redit in gratiam curatius jam incipit observare,
& æqua lance judicare ea quæ sanitatem custodire, quæve candem
labefactare atque evertere idonea sunt: ita peccator ex miseria
sua periculo ereptus inque statum gratiæ receptus, cum terrore &
timore sancto utatur rebus externis indifferentibus & perpetuo eo
respiciat, quæ minuere vel promovere animi valetudinem prospé-
ram possint. Confortantia censentur a Medicis esse optima ad-
versus morborum insultus præservantia, utpote hæc motum san-
gvinis & spirituum excitant, sique omne humorum vitium aver-
tunt. Non datur quoque præsentis præservativum, non generosus
anelepticum & alexipharmacum, quam quod in evangelio & sacra-
mentis reconditum est, hæc vires reales & salutares infundunt a-
nimæ nostræ quibus confortatur, armatur & robusta fit ad quavis
pericula evitanda. Vero enim vero dolendum graviter est nem-
inem, quoad corpus perfecte sanum reperiiri, quod sperandum non
est quādiu sub tanto rerum contrariarum corporeatum confluxu
detinemur: Ita etiam omnem spem decollatam esse persvalus sum
ad imperfectam sanitatem animum peryenire posse, quamdiu carnis
vinculis sumus alligati, & inter infensisimos hostes, non modo
extra nos sed & intra nos versamur, unde vincula tandem solven-
da sunt, destruendum corpus est, deferendus mundus ut tandem
ad incredibilem, & purissimam felicitatem anima, cuius gratia na-
ta ac producta a Deo est perducatur. Felix itaque, terque, qua-
terque beatus est, qui humili mente suam agnoscit imbecillitatem,
suam imperfectionem, & quotidie remediis tam præser-
vationis, quam curationis ergo utitur

efficacissimis,



Ma 6063

ULB Halle
002 161 265

3



sb



bapt

AC

B.I.G.
Black



DE
**OFFICIO BONI
THEOLOGI EX
IDEA BONI ME-
DICI,**

IPSO NATALE
SERENISSIMI REGII PRINCIPIS,
IN ACTU PROMOTIONIS
HABITA ORATIO

a
FRIDERICO HOFFMANNO, P.P.

HALÆ, Typis CHRIST. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCCIL.

